II. *Obſervatio de immodico & funeſto Lapidum Cancrorum, ſimiliumque terreſtrium Abſorbentium Uſu, indeque ortis Calculis in Ventriculo & Renibus:* à Joh. Philippo Breynio, *M. D.* R. S. *S. cum D.* Hans Sloane, R. S. *Pr. &c. communicata.*

NUllam fere in corpore animali dari cavitatem, in qua non aliquando calculi generati & reperti ſint, practicorum teſtantur obſervationes; immo quotidianus clamat rerum uſus.

Inter rariores tamen merito numerandi ſunt calculi, qui in ventriculo corporis humani generantur. Horum nonnullæ licet in lucem, a quibuſdam viris doctrina & arte claris, jam editæ ſint hiſtoriæ, quædam quoque tibi, Vir Illuſtris, non ignotæ proculdubio fuerint, non tamen me oleum & operam, quod aiunt, perditurum confido, ſi ſequentem tecum communicavero; utpote quæ tum ratione originis, tum configurationis calculorum, quotquot hactenus publicatæ ſunt, varietate, quantum ego novi, ſuperare videtur. Generoſus nimirum D. Robertus Hacket Anglus, Eques Auratus, corporis conſtitutione athletica, & valetudine gaudens proſperrima, (niſi quod aliquando cum morborum tyranno, podagra ſcilicet, miſere conflictaretur) genio ſuo, ut ſæpius ſolent Generoſi, vinoque ſubinde indulgens, in inſula Americæ Barbados dicta, quæ Britannorum paret imperio, degebat. Hic a multis jam annis ſubinde, inprimis ſi Baccho liberalius aliquantulum litaverat, cardialgia, quæ

Anglis, apto ſatis, vocabulo vernaculo, *Heart-burn* ſalutatur, corripiebatur; ad quam tollendam pulverem oculorum cancrorum, ſimiliave acidum obtundentia terreſtria frequentius aſſumebat. Ex his levamen quia pro tempore ſaltem obſervabat, indies redeunte cardialgia, lapidum cancrorum, cretæ, teſtaceorum, & ſimilium uſum ſingulis diebus in magna doſi per plurimos continuavit annos: ſed funeſto plane eventu; cardialgia enim non tantum inde increvit, ſed & moleſtiſſimus gravitatis ſeu ponderis ſub diaphragmate ſenſus acceſſit, concomitantibus ſubinde vomitu & intenſiſſimis doloribus nephriticis; donec tandem, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto, poſt natum Chriſtum vero, ſi recte memini, 1694. miſere excruciatus animam redderet.

Cadaver, cum agnotorum venia, a duobus chirurgis fuit apertum; qui in ventriculo ingentem calculorum variæ admodum magnitudinis reperere numerum; quorum maximus magnitudine, & figura ramoſa, qua corallium exprimit, imprimis notabilis, figura 2. TAB. I. exhibetur; prouti a filio patientis, Generoſo D. Wilhelmo Hacket, hoſpite quondam, dum Oxonii degerem, meo amantiſſimo, cui totam hanc hiſtoriam debeo, anno hujus ſæculi tertio aſſervabatur, mihique cum cæteris demonſtrabatur, qui, deperditis licet aliquot, ut figura indicat, extremitatibus, uncias tamen medicas adhuc pendebat duas cum drachmis quinque.

Hic proximus fig. 3. expreſſus unicam unciam cum una æquabat drachma. Cæteri vero longe minores, a magnitudine ſcilicet ſeminis papaveris ad piſi majoris, aſcendebant, ſphæricæ, vel ad ſphæricam accedentis figuræ.

Hi calculi omnes in ventriculo involuti fuerant humori admodum mucoſo, & tenaci, qui in charta aëri expoſitus & ſiccatus abiit in pulverem ſimillimum ſubſtantiæ dictorum calculorum.

Subſtantiam verò eorum quod attinet, notandum eſt, eam non ubique fuiſſe eandem; utplurimum enim coloris erat albicantis & cineracei; & in quibuſdam lapidi bezoar occidentali conſiſtentia & colore, in aliis vero paucioribus, ut præſertim Fig. 2. lit. *a* & *b*, lapidi bezoar orientali ſimilis; *d*, extremitatis abruptæ; *c*, ſuperficiem exprimit; ut interna lamellata pateat ſtructura.

Præterea & in rene calculus fuit repertus trium drachmarum pondere, qui ex ſex ſphæris quaſi videtur compoſitus, ut fig. 4. indicat, ſubſtantia cæteris in ventriculo ſimilis ferme. Calculi in ventriculo mulieris cujuſdam reperti, noſtro majori multum ſimile exemplum, exhibet, addita figura, Wilhelmus Clerk, in Tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis, N° 250.

Aliud exemplum calculi ventriculi vid. in Ephemerid. Nat. Curioſ. D. 1. Ann. 2. Obſ. 181. cum Scholio Philippi Jacobi Sachſii.

J. P. Breynius.


Fig. 2.
c
a
b
d
Fig. 3.
Fig. 4.
A
C

Philos Trans N.º 459. **TAB. I.**

Fig. 1.



J. Mynde sc.

Fig 2.
a
b

Fig 3

Fig 4

Fig 1
A
B
C
B